



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Illud. In mortis articulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Caste. *Idem lege*: nam, quia in praxim deducere hanc sententiam nec volo, nec audeo, satis habeo, illam tibi brevius innotuisse.

An sufficiat pro bulla, limitata approbatio.

13. Qui est approbatus limitatè pro mulieribus non pro viris, pro rusticis non pro mercatoribus &c. Potestne ex privilegio bullæ, vel simili, Rescripti eligi ab omnibus illimitatè?

14. Respondeo cum Suar. de 28. pæn. sect. 7. n. 3. aliis, que (quos ego cito l. 5. de pæn. c. 5. §. 4. n. 29.) nequaquam, sed solum pro illis, pro quibus est approbatus. Ratio est, quia supra diximus, eligibilem per bullam debere esse legitime approbatum, at hic respectu illorum, à quibus excluditur, approbatus legitime non est.

15. Scio non paucos cum Diana, aliisque à me ibid. citatis concedere posse ab omnibus illimitatè, quia verificatur (aiunt) illam esse aliquo tandem modo approbatum, neque enim bulla distinguit, an debeat esse approbatus illimitatè, an limitatè, sicuti approbatus ab Episcopo pro sua diocesi potest dici limitatè approbatus, & tamen prima sententia modo allata probabiliter sustinet, posse hunc illimitatè eligi.

16. Video argumentum urgere, sed non convincere, etiam video. Nam inconueniens, quod sequitur, ostendit, sententiam hanc non esse probabilem. Sic enim Sacerdos approbatus pro una femina, vel pro uno puero esse eligibilis per Bullam pro tota Diocesi, imo, in prima sententia, pro toto orbe; ex quo inconueniente colligimus, non posse præsumi, Summum Pontificem id voluisse concedere. Quod inconueniens non apparet in casu dicto n. 15.

17. Simile inconueniens evenit in eo, qui fuisset approbatus per unum, vel per alterum diem ut solet in Hebdomada Sancta aliquando ab Episcopis fieri, posset enim is per totum Terrarum orbem, & semper eligi, quod nemo dicere audebit.

18. Doctores nonnulli ex proxime citatis n. 3. sustinent limitatè approbatum posse ab omnibus per Bullam eligi, sed solum quando limitatio non est appposita ob defectum scientiæ, si enim esset propter ejusmodi defectum appposita, non posset (aiunt) ab omnibus eligi.

19. Verum cum approbatio non sit solum testificatio scientiæ, sed morum, sed prudentiæ, sed decentiæ ut vidimus in r. de pæn. cur horum defectus æque non restringant approbationem?

Religiosi an ex Bulla Cruciatæ possint eligi?

20. An Religiosus Sacerdos possit à Fidelibus eligi in Confessarium vi Bullæ? Respondeo. Certum est, Sacerdotem Religiosum posse eligi ex vi Bullæ à Fidelibus, sed debere esse approbatum ab Ordinario modo jam dicto, nam sic et an ipse Religiosus erit Confessarius legitimus respectu Fidelium secularium.

At verò an Regularis approbatus solum à suo Prælato sit eligibilis per bullam à seculari, questio esse posset. Ad quam respondeo negativè quia Trid. sess. 23. c. 13. de Reform. semper pro secularibus vult, ut etiam religiosi approbentur ab Episcopis. Et ex alia parte semper præsumendum est, Pontificem velle se conformare Tridentino in substantia approbationis, ut n. 13. diximus, atque adeo etiam in Bulla.

§. II. *An possit absolvi à reservatis Episcopo toties quoties & à reservatis Papa semel, &c.*

1. Quoad prius, nihil est, quod explicatione indigeat, clara enim sunt bullæ verba. Vide tamen, mox §. 5. unum quod huc pertinet.

2. Quoad posterius, hæc habet. Si à commissio delicto reservato Pontifici, v. g. per lectionem publicam li-

beret heretici de Religione tractantis, fuisti per bullam jam absolutus, & deinde in eodem anno incidas sive in idem peccatum legendi publicè librum heretici, sive in aliud speciem distinctum, occupandi v. g. publicè bona naufragantium, non potes ex vi ejusdem bullæ in vita absolvi, nec à peccato novo publicè legendi, nec à peccato occupandi. Ratio est, quia bulla non concedit, ut possis in vita absolvi semel à quolibet peccato Pontifici reservato, concedit enim solum unicam absolutionem in vita à peccatis Pontifici reservatis. Indigebis ergo tunc secunda bulla, ea tamen lege, ut si tertio incidas, non tibi profutura sit tertia. Ita Bard. in p. 2. tract. 6. c. 1. sect. 1. cum aliis. Contra quem pugnat Leand. in 2. de excomm. d. 17 §. 2. g. 83. dicens, esse probabile per unicam bullam concedi, posse absolvi ab omnibus, dummodo ab unoquoque in specie semel tantum intra publicationis annum quis absolvatur. Certe id esse probabile, negare non possum; quia hunc sensum facere commodè possunt verba bullæ; si attente legantur.

Dictum autem est (*publicè*) nam de Pontificiis occultis dicam mox separatim §. 5. cit.

3. Ex eo autem, quod in nostra sententia bulla semel dictam reservatorum absolutionem concedat, fit, ut si in ea confessione aperias singula, vel plura peccata contracta ex pluribus aliis delictis diversis Pontificiis, puta occupatione bonorum naufragantium, percussione Cardinalium, læsione immunitatis Ecclesiasticæ, &c. fit (inquam) ut possis ab omnibus simul absolvi per unam bullam, quia sic unam recipis absolutionem. Idem per secundam bullam, sed non tertio, ut dictum est.

§. III. *In Mortis Articulo.*

1. Si quilibet Sacerdos in hoc articulo potest absolvere à reservatis, ut differimus latè in tractatu de Pænit. quid emolumenti affert hoc bullæ Privilegium.

2. Respondeo. Duo emolumenta. Alterum, quod ab solutio hæc potest conferri ab Episcopo ex vi bullæ, etiam præsentè proprio ægrotantis Patrocho, quod certe inserviet pro illis qui, ut ibidem vidimus, sustinent, tunc id non posse quemlibet Sacerdotem.

3. Alterum, quod si tunc absolutis ab excommunicatione reservata, liber eris ab onere te præsentandi Superiori, quia electus per bullam, jam est tuus Superior delegatus à Pontifice, à quo onere, quando absolveris ex universali facultate concessa pro periculo mortis, liber nequaquam es.

§. IV. *Excepta Hæresi.*

1. Quamvis multi multa asserant, quibus probent, hæresim formalem externam (mere enim internam non esse casum reservatum, lib. 2. in Decal. c. 1. §. 8. n. 2. diximus) saltem occultam, posse per bullam Cruciatæ absolvi ex illo principio, quod ex una parte potestas concessa Episcopis absolvendi ab illa, adhuc in ipsis, ex probabilissima opinione remanet, etiam potest bullam Cœnæ, & ex alia parte, Bulla Cruciatæ concedit posse absolvi omnia quæ possunt Episcopis, nihilominus cum propter ejus gravitatem hæresis absolutio non veniat in concessione generali, ideo saltem hodie, ubi est Tribunal Sacre Inquisitionis Hispaniæ, non possumus hujusmodi sententiæ adherere: Id quod etiam alibi, puto, saltem consulendum. Cæterum, qui de hac questione rationes late utrinque adductas cognoscere cupit, eas legat ab aliis fusè agitas præsertim Bard. Trullench. Ludovico à Cruce citatis à Leand. l. 7. g. 85. & 86. §. 9. 38. & 39.

2. Dixi autem signate (hæresim formalem) id est, cum errore intellectus. Nam quando intellectus error non intervenit, ea tanto rigori non subest. Quare sortilegium, maleficia, superstitio, magia, adoratio Dæmonum,